UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hyperdvlia Mariana

Berchmans, Johannes
Canisius, Jacobus

München, 1636

XX. Hyperduliæ species, Immaculatæ conceptionis Marianæ defensionem iurare, & syngrapha suo sanguine subscripta confirmare.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55266

Visual Library

X X.

HYPERDVLIÆ SPECIES.

Immaculatæ Conceptionis Marianæ defenſionem iurare, & ſyngraphâ ſuo ſanguine ſubſcripta confirmare.

§. I.

SAnguis ſymbolum fœderis eſt. Fœdus enim apud veteres tum Romanos, tum Græcos non niſi fuſo pecudis ſanguine percutiebatur. Hinc &(vt nonnullis placet) fœdus dicitur à porcâ ſiue aliâ pecude fœdè crudelitérque à Fæciali ſiue Patre Patrato cæſa, cuius mors optabatur ei, qui prior pacem fregiſſet. Ideo & Mantuanus vates:

—— & cæſâ figebant fœdera porcâ.

Vid. Liu. 1. Decad.

Hinc etiam fœdus apud Hebræos, Be-

Berith, vox cognationem habet cum vocabulo, Bathar, id eſt diſſecuit, per medium diuiſit, à diſſectione pecudum & execrationibus, quæ pangendis in fœderibus adhibebantur. Itaque fuſo cuiuſpiam animalis ſanguine fœdera olim ſancita ſunt. Et ideo ſanguis, vt ſymbolum fœderis, etiam apud Hebræos vſurpatum. Hinc & Magnus Hebræorum Legislator ille Moſes Exod. Cap. 24. Sumptum ſanguinem reſperſit in populum & ait: Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiſcum. Et propheta Zacharias Dominum alloquens: In ſanguine fœderis tui emiſiſti vinctos tuos. Idem ſignificat Apoſtolus ad Hebræos paſſimque in diuino codice eſt reperire.

Horum non neſcius Berchmannus, fœdúſque æternum cum Virgine icturus, ſyngraphâ ſuomet ſanguine ſubſcriptâ ſeſe perpetuũ immaculatæ conceptionis Marianæ Vindicem, aſſertorem defenſorémq; iurauit. Porrò quam-

pis Virgilius Ceparius, huiuſque rei interpres Hermannus Hugo ſanguineæ illius ſyngraphæ in vita Berchmanni non meminerint, diſertis tamen id verbis ait Cornelius à Lapide, Societatis IESV Theologus, & ſacrarum literarum Romano in Collegio profeſſor, in teſtimonio, quod Berchmanno reddidit hís verbis: Inuenta eſt ſyngrapha eius ſanguine ſubſcripta, in qua illam (Immaculatam Conceptionem Marianam, quia de hac loquitur) ſeſe ſemper defenſurum iureiurando confirmat. Ita Cornelius, vtique oculatus huius ſanguineæ ſyngraphæ à Berchmanno ſignatæ & iureiurando confirmatæ teſtis.

O iuramentum ſalubrius, pientius, ſanctius eo, quo ſe vel Herodes olim in crudele parricidium, vel temerarij homunciones hodie in illicitam priuatam leuiúmq; offenſiuncularum vindictam tam facilè obligant, ſuáſque animas fœdè impiant, fœdius Orco mancipant.

O ſan-

O ſanguinem prænobilem, defœcatum, purum, puriſſimæ aſſertorem Conceptionis, à Berchmanno generoſius, ſanius, ſanctius profuſum in intemeratæ Matris Virginis obſequium, quàm quẽ Catilina impius prodegit in ſuimet interitum, & coniuratis propinauit in patriæ excidium; vel plerique mortalium in vernante vel autumnante phlebotomiâ minuunt in ſuum ſubinde detrimentum; vel præcipitis iræ duellantes, priuatis in litibus ac rixis illicitè ſpargunt in ſuæ famæ, vitæque diſpendiũ, vel Necromantæ nefarij ſceleratiſſimè prodigunt in ſui corporis animiq; exitium, pérque ſubſcriptam ſuomet cruore ſyngrapham nundinatione impijſſima, non tantummodo in ſeruitutem ſed in æternam quoque mortem ſeſe ſtygi venundant.

§. I I.

Tertium Hyperduliæ præmium

Eſt, quod Ieſſæus vates pollicitus cum

cecinit : Laudabuntur omnes qui iurant in eo, &c. *Pſal. 62.*

§. III.

Alterum Hyperduliæ præmium

Eſt, quod hoc eodem ſanguine, quo Berchmann⁹ ſyngrapham MARIANÆ Conceptionis immaculatæ propugnatricem concinnauit, ab omni veniali quoque macula mundatus omnino videatur. Nam: omnia pænè in ſanguine (vt loquitur Apoſtolus ad Hebræos ſcribens) ſecundū legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.

§. VII.

Tertium Hyperduliæ præmium

Eſt, quod hoc ſanguine ſuo tanquam lapide Philoſophico omnia ſuæ Marianæ pietatis opera in purum putúmque aurum verterit Charitatis. Sanguis enim ſymbolicè lapidem philoſophicum ſignificat, & hoc, aurum fit, teſte Auicenna & Ricciardo Brixiano Commentar. ſymb. to. 2. *Auicenn. In tractatulo Brixian. f. 2. Symbol. Comment. p. 184.*

§. V.

§. V.

Quartum Hyperduliæ præmium

Eſt quod hac ſuæ ſyngraphæ rubrica ſuiq; ſanguinis purpurâ legiſlator (nam rubricam legémque condere legiſlatoris eſt) & Rex (nam purpura Regium inſigne eſt) & Reginæ Cælitum ſponſus factus videatur, ſic vt hæc illum tanquam Sephora filium his affari verbis poſſit: Sponſus ſanguinum tu mihi es. Berchmannus enim filius Virginis audijt. *Exod. 4. 26.*

§. V I.

Quintum Hyperduliæ præmium.

Eſt quod hæc ipſa ſyngrapha Berchmannico ſanguine Virgine, in honorem Virginis ſignata, tanquam ſacrum lipſanum reuerenter hodiéque aſſeruetur, ægrorum multorum ſaluti (ſi DEVS Deiparaque annuerint) olim profuturum.